Epistola 263.

Viro plur^m Rev^do et Celeberr^o
JOHANNI COCCEJO
Frid. Spanhemius S.P.

Qui omnium primus tuam ambire ac quovis pretio redimere consuetudinem debui, Vir Celeberrime, omnium ferè postremus in eam memet insinuo. Nullâ certè ([illegible]) aut tuorum de me meritorum, aut ejus quam tibi debeo observantiae oblivione. Non est in hominibus alius qui tuam magis vel suspiciat eruditionem, vel pietatem virtutemque veneretur. At sunt, fateor, qui vincant me scribendi diligentiâ, et officiorum hujuscemodi promptitudine. Pridem scilicet doctum sapere τοῦ ἐν ἁγίοις γεννήτορος exemplo, quem frequentia commercij literarij, cujus pars aliqua hæreditate in nos devoluta, tantum non obruere solita fuit. Indulge ergò et mihi, quâ es indulgentiâ et humanitate ut sint tibi hæ lineolæ instar centum literarum, quibus potuissem fortè obstrepere importuniùs laboribus tuis, non verò exprimere veriùs et cordatiùs meum ergà te cultum, qui constanter [illegible]. De res nostras si inquiris, pauca sunt quæ memorem digna. Ex procinctu itineris Helvetici est Clariss. Hottingerus noster, à Proceribus suis omninò revocatus. Si tamen quid res et Deo, nisi obstitisset vis major, facilè molestam illam apud Sangallos pridem deerrasset γάμος πατρίδος [illegible]. Quò arctius nos constrinxit vinculum, eò quidem separatio illa durior. Manebit tamen, spero, animorum conjunctio quæ nullâ locorum intercapedine solvitur. Proximè inaugurali actu in Collegium Professorum cooptandi Clariss. Viri, Scheltenius et Puffendorfius. Ille ordinarius Juris, hic Extraordinarius Philologiæ, et Juris Communis. Sudant operæ nostræ typographicæ in excudendis nonnullis Clariss. Hottingeri, etiam Vindicijs meis Biblicis, id est primo earum Tomo. Imprimuntur etiam Epistolæ et Philologica Balth. Venatoris, Viri magni et disertissimi. Pacata cæteroquin nobis omnia et tranquilla, Respublica, Academia, Ecclesia. Solito etiam uberior fuit vini proventus, non item annonæ, sive rei frumentariæ. Res vestras intelligere aveo, nihil proximè elapso tempore nactus à Leydensibus literarum. Inopiam verò desideratissimi tui in Psalmos Commentarij penes Librarios nostros esse, adeòque et nos, vehementer doleo. Dedit nuper ad me humanissimas, Rev^dus Hermannus Coccejus, olim tuus. Augmentum gratulor sacro et perhonorifico muneri, uti quidem ab eo quem mihi commendarat Ornatiss^o Juvene, Optone Coren non postremo in Auditoribus nostris, laetus accepi. Plura jam mitto, ne vel primâ scriptione fastidium pariam. Vale, Vir Magne et verè Theologe, meque studiosissimum cultorem tui nominis, quod fecisti olim, etiamnum ama. Scripsi Heidelbergæ XXII Octob. CIↃ IↃ CLXI.

A Monsieur

Monsieur Coccejus,
Docteur et Professeur en
Theologie en l'Academie
de Leyden